

citata Constitutione ait pœnas statutas valere *'licet simonia alterius tantum partis conscientia sit completa'*.

De simonia in ingressu ordinis religiosi.

55. *Ex capp. 8. 19. 30. h. t. nec non ex Extravag. 1. h. t. inter communes*, deprehendimus simoniam committi, quoties promittatur, vel exigatur, vel præstetur aliquid temporale tamquam conditio ad receptionem personæ, vel ad emittendam professionem in ordine religioso. Etenim ingressus et professio religiosa consideratur ceu res spiritualis et proinde aliquid temporale exigendo fit comparatio inter rem temporalem et rem spiritualem. Hinc in cap. 30. h. t. intimatur Episcopis, ut pœnis canonicis procedant contra simoniace recipientes et ingredientes in religionem, non obstante multitudine delinquentium. Contraria autem consuetudo appellatur corruptela juris, *Extravag. 1. h. t. inter communes*. Verum vetitum non est religiosum posse *sponte* aliquid temporale donare familiæ religiosæ: quia in donatione non verificatur pactum simoniacum, nec ratio pretii temporalis pro re spirituali.

56. At nunquamne licebit monasterio exigere aliquid ab ingressuris religionem?

Conceptus juris ecclesiastici prohibentis præstationem rei temporalis in eo consistit ut evitetur comparatio inter temporale et spirituale. Quare si subintrat alius titulus potest utique exigere temporale aliquid ab ingredientibus religionem.

57. Titulus autem communis viris et mulieribus religiosis est sustentatio et vestes tempore Novitiatus, quo tempore Novitius nondum jus habet ut a religione vestibus et alimentis muniatur. Hunc titulum agnovit etiam Tridentina Synodus *in cap. 16. sess. 25. De regular.*

58. Hunc titulum honestæ sustentationis Doctores extendi posse dicunt etiam ad tempus subsequens professionem, ita ut liceat monasterio aliquid exigere, etiam ultra expensas pro victu et vestibus post Novitiatum. Nam sustentatio post Novitiatum pretio æstimari potest.

59. Si stemus vero stricto juri expresso in *cap. 40. h. t. et in Extravag. 1. h. t. inter communes* habemus interdictum esse monasteriis, quominus aliquid titulo paupertatis, idest titulo necessariæ sustentationis personæ religiosæ exigant. Censetur enim

religiosos sustentari debere bonis vel eleemosynis monasterii. Hinc plures recipi nequeunt quam possint sustentari redditibus monasterii vel consuetis eleemosynis. *Cap. un. 'De statu Regul.' in 6º. § 'Sane', Trid. sess. 25. De Regular. cap. 3.* Verum hæc prohibitio est solum juris ecclesiastici, quæ proinde etiam contraria consuetudine corrigi potest atque limitari.

Sunt qui dicunt titulo sustentationis posse aliquid exigere monasteria paupertate laborantia, non autem locupletiora monasteria. Sed in genere videtur adhuc subsistere lex generalis prohibens aliquid recipi ultra expensas pro victu et vestibus tempore novitiatus.

60. Sed quoad sanctimoniales invectus est titulus dotis taxandæ ab Episcopo cum venia S. Congregationis Episcoporum et Regularium. Quæ quidem dos solvitur ut monasterium necessariis rebus instructum sit ad honeste sustentandas religiosas fœminas. Nec obstat conditio actualis florens religiosæ familiæ, scilicet si hic et nunc monasterium dives sit, nam si dotibus careret, posset sensim sine sensu viribus œconomicis deficere, et ob hoc periculum dos ab ingressuris fœminis exigitur. Quare quoad viros generali lege simoniacum est et a jure ecclesiastico prohibitum aliquid in ingressu religionis exigere, præter expensas novitiatus tempore, sive pro vestibus, sive pro alimentis necessariis; quoad vero fœminas religiosas præter hasce enunciatas expensas, potest dos conveniens exigi.

61. Pœnæ contra Simoniam realem commissam in ingressu religionis sunt sequentes. 1º. *Ex Extravag. 1. h. t. inter communes*, sive dantes sive accipientes si sint personæ singulares subjiuntur pœnæ excommunicationis Summo Pontifici reservatæ. Quod si vero capitulum vel conventus in simoniam consensit, incurrit ipso facto suspensionem, et ipsam reservatam Romano Pontifici. Animadvertimus vero pœnam suspensionis latæ sententiæ non fuisse confirmatam in Constitutione *'Apostolica Sedis'* adeoque desiisse; pœnam vero excommunicationis, fuisse in eadem Constitutione renovatam sub n. 10. inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatas, ubi legitur excommunicationem incurrere *'Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem'*.

2º. Qui simoniace recipiunt, et qui simoniace recipiuntur in religionem detrudi debent in arctioribus monasteriis ut ibi per-

agant pœnitentiam. *Cap. 40. 'Quoniam' h. t.* Notant vero Doctores hanc pœnam tacite sublatam fuisse ex posteriori Constitutione '*Solet annuere*' quæ est 12. Innocentii IV. in qua nulla fit ejusdem pœnæ mentio.

3º. Ex citata Extravag. 1. eruitur contra simoniacos ex ingressu in religionem, statutam esse pœnam infamiæ.

Ut autem supra enunciatae pœnæ incurrantur, necesse est ut secuta inde fuerit confessio, perdurante adhuc simoniaca conditione. Si enim vel religiosus reliquerit castra religionis, vel ante professionem restituta fuerit res temporalis, seu pretium simoniacum cessant pœnæ ecclesiasticæ.

De simonia in administratione sacramentorum, sacramentalium et actuum muneris sacri, ex. gr. benedictionum, precum etc.

62. Si res temporalis præstetur et accipiatur tamquam pretium administrationis, absque dubio committitur simonia, et quidem juris divini. Adest enim proprie dicta comparatio rei spiritualis cum re temporalis.

Sed videmus consuetudinem antiquam, qua revera occasione administrationis rei sacræ aliquid temporale præstatur a fidelibus, et recipitur a ministris. Estne hæc consuetudo legitima et admittine potest?

In genere potest verificari titulus honestus quo legitima reddatur præstatio et acceptatio rei temporalis absque periculo simoniæ; ex. gr. titulus stipendii et honestæ sustentationis clericorum, qui altari deserviunt, de altari participant (*1. Cor. 9.*). Et quidem hic titulus stipendii ad honestam sustentationem adeo valet, ut non solum possint ministri Ecclesiæ recipere ea quæ sponte offeruntur a fidelibus, sed etiam exigere ea temporalia quæ ob aliquod officium ministerii persolvenda sunt, vel ex jure ecclesiastico, vel ex diœcesana dispositione vel ex consuetudine diœcesana legitime præscripta persolvi debent. Ita *arg. can. fin. caus. 1. q. 2.*

63. Et hoc quidem verificatur non solum quoad clericos egestate laborantes, sed etiam quoad clericos qui aliunde habent necessaria ad honestam sustentationem sive ex bonis patrimonialibus, sive ex aliis provisionibus ecclesiasticis. Ratio est quia semper verificari potest titulus stipendii præstandi propter laborem et opus ministerii ecclesiastici.

64. Sed spiritus et intentio juris ecclesiastici hac in re optime intelligitur ex cap. 42. h. t. in quo bini casus possunt fingi. Penes plures regiones consueverat ut in administratione baptismatis, in benedictionibus, exequiis defunctorum peragendis etc. clerici exigerent emolumenta adnexa operibus juxta eundem modum quo pacta mercede opera locantur. Hinc non administrabant baptismum, nec cetera pia opera perficiebant, nisi antea fuisset solutum stipendium vel emolumentum operi adnexum. Hanc consuetudinem reprobavit Lateranense Concilium, et voluit ut ministeria libere et absque intuitu ad emolumenta exercerentur. Merito autem reprobata est consuetudo, quia minister eo ipso quod ministerio fungitur, tenetur opera officii sui exhibere, nec potest præstationem operis subordinatam reddere et dependentem ab emolumento temporali, quasi esset opus mercenarium.

65. At alius inoleverat abusus in aliqua Diœcesi, quo laici, clericis operantibus, in sacro ministerio denegabant præstare aliquid temporale, quod præstari solebat ex legitima consuetudine. Concilium Lateranense inculcavit Episcopis, ut hæc consuetudines laudabiles conservarent compescentes abusus ex parte laicorum derivatos. Licet enim clerici ratione sacri ministerii teneantur administrare sacramenta et officia ministerii fideliter et libere exequi, tamen præstito opere spirituali jus habent exigendi stipendium respondens, quod statutum est a lege ecclesiastica, vel inductum est ex laudabili consuetudine; immo ut hoc stipendium consequantur clerici possunt etiam superioris auctoritatem invocare contra reluctantes.

66. Præter titulum stipendii in administratione sacramentorum, in aliisque piis et religiosis operibus invocari etiam potest titulus laboris extrinseci, ex quo aliquid temporale percipere liceat absque periculo simoniæ. Siquidem Doctores in operibus religiosis distinguunt *laborem intrinsecum et extrinsecum.*

Intrinsecus ille est, qui operi est essentialis, absque ulla relatione extranea ab opere. Ita in missa prolatio verborum et sacræ cæremoniæ ad sacrificium conficiendum juxta liturgicas normas intrinsecum laborem constituunt. Labor autem extrinsecus resultat ex variis relationibus operis ad tempus, locum, et ad specialem modum quo opus religiosum est præstandum. Ex. gr. si missæ sacrificium hora determinata et tardiore, vel in loco ultra notabile spatium posito, vel cum cantu celebrandum sit. Labor hic extrin-

secus, separabilis ab ipso opere religioso est pretio aestimabilis, et ejus intuitu aliquid temporale juxta prudentem aestimationem exigi et percipi potest, dummodo non sit labor ex alio titulo debitus. Si enim sacer minister ex officio vel contractu illud incommodum extrinsecum sufferre obligetur, nihil poterit exigere ob extrinsecum laborem.

De restitutione facienda in materia simoniæ.

67. 1º. Si restitutio consideretur relate ad spiritualia simoniace accepta, quisquis videt eam locum habere non posse, si res accepta fuerit *mere* spiritualis. Hinc restitutio in ordine ad recipientem rem sacram attingere potest solummodo beneficia, vel jura, quæ beneficia respiciunt ex. gr. jus patronatus, jus electionis activæ etc. Cum assecutio beneficii vel alterius juris, simonia interveniente, per se nulla sit, nemo non videt quemque teneri ad restituendum, seu dimittendum beneficium vel jus receptum etiam ante sententiam judicis. Immo si sermo sit de beneficio, etiam fructus percepti restituendi sunt. Diximus 'simonia interveniente' — loquimur autem de simonia quæ nullam reddit juris assecutionem. Talis est simonia communis si fuerit realis et completa, tum quoad actum concessionis rei spiritualis positum ex una parte, tum quoad præstationem rei temporalis factam ex altera. Talis est etiam simonia confidentialis, completa solummodo quoad concessionem beneficii, licet nondum ex altera parte impleta fuerit conditio seu pactum concessionis adnexum.

68. 2º. Quod si aliquid temporale receptum sit intuitu beneficii, sive ob collationem, sive ob nominationem, electionem etc. restitutio facienda est Ecclesiæ, in qua beneficium est erectum. Ita ex jure ecclesiastico in *cap. 11. h. t.* Et quidem hæc restitutio facienda est ex conscientia obligatione etiam ante sententiam judicis. Constitutio enim *2. h. t. inter Extr. comm.* prohibet quominus acquiratur dominium rerum simoniace receptorum in materia beneficii.

69. 3º. Qui aliquid temporale simoniace recepit pro ingressu religionis, collatione ordinum, administratione sacramentorum etc., restituere tenetur ea quæ recepit, quia injuste recepta sunt. Christus Dominus enim de rebus spiritualibus dixit (*Matth. X.*) 'Gratis accepistis, gratis date'. — At in jure modus restitutionis definitus non

est; solummodo ex *cap. 41. h. t.* 'Audivimus' videtur inferri, posse a judice imperari ut ea quæ ex contractu simoniaco recepta sunt, locis piis in quorum dispendium simonia commissa est, solvantur et applicentur in duplum. Sed seclusa injuria vel dispendio Ecclesiæ, vel loci pii, restitutio rerum simoniace receptorum juxta regulas generales restitutionis in praxi moderanda esse videtur. Unde si vere læsa sit justitia commutativa, restitutio facienda est favore illius personæ, cui damnum illatum est.

70. 4º. Ubi non intrat ratio justitiæ læsæ, et pretium receptum fuerit ex re sacra sub respectu quo est pretio aestimabilis, restitutionis obligatio non urget, quamvis prohibeatur ab Ecclesia rei ipsius alienatio. Quare si Rector Ecclesiæ accepto pretio contra Ecclesiæ prohibitionem, alienavit Chrisma, vel sacrum oleum, vel officium temporale Ecclesiæ, ex. gr. officium œconomi, procuratoris etc., vel jus patronatus, solummodo sub ratione commodi et utilitatis quam affert, aut afferre potest, vel etiam si monasterium pecuniam receperit pro ingressu religionis sub titulo honestæ sustentationis, restituere non tenetur, dummodo pretium receptum non fuerit excedens valorem materiæ alienatæ, vel temporalis utilitatis ex officio vel jure derivantis, quia prohibitio Ecclesiæ procedit ex motivo religionis, non autem justitiæ. Quare in hisce rebus restitutio facienda est solummodo in quantum pretium est majus valore vel utilitate rei pretio aestimabilis, quia hæc major quantitas pretii procedens ex qualitate sacra, injuste percepta fuit.

De judicio in materia simoniæ.

71. Crimen simoniæ utpote facile latens et maxime christianæ societati perniciosum, inter excepta crimina numeratur. Hinc 1º. quisque catholicus etiam criminosus, immo et de ipsa simoniæ labe infectus, dummodo non sit capitalis inimicus, potest accusare simoniacos tum dantes, tum recipientes, tum etiam eos pro quibus scientibus nec resistentibus simonia commissa est. *Cap. 3. 7. 8. et 29. h. t.* 2º. In hoc crimine demonstrando non requiruntur plenissimæ et luce meridiana clariores probationes, sed simonia potest demonstrari argumentis etiam adminiculativis, et indicis, quæ vehementem præsumptionem facientia, moralem certitudinem inducunt, reumque convincunt. *Arg. cap. 30. h. t.* Crimine autem simoniæ ita probato, pœnæ canonicæ reo infliguntur.

72. Quod si autem accusatus de simonia non plene convinci possit de crimine, non quidem positivis pœnis plectitur, et per consequens non amittit jura, quæ habet, sed suspectus de crimine impeditur, quominus nova jura in Ecclesia adipiscatur.

TITULUS IV.

Ne prælati vices suas seu Ecclesias sub annuo censu concedant.

1. Materiam simoniæ prosequitur B. Raymundus. In hoc titulo interdicitur Prælati ne jurisdictionem suam committant alicui, qui vicarii nomine illam exercent, et pretium temporale vel annuam præstationem Præfato rependat.

2. In *capp. 1. et 2. h. t.* pœna constituta legitur, ut Vicarius officio privetur, Prælati vero amittat facultatem officium illud conferendi. Hinc utique Episcopus potest habere plures in gravi suo munere exercendo coadjutores majores et minores, at nequit iisdem committere officium exercendum cum pacto solvendi pretium temporale sibi, vel annuam præstationem.

In *cap. autem 3. h. t.* Alexander III. modis omnibus prohibet quominus sub annuo pretio idest sub annua pensione concedatur quodcumque officium ecclesiasticum. Consonat dispositio Concilii Tridentini *cap. 11. sess. 25. De Reform.* Et merito. Namque est concessio simoniaca.

3. Verum si aliqua Ecclesia parochialis vel aliquod beneficium est incorporatum pleno jure alicui monasterio, Prælati ejusdem potest Vicarium in beneficio vel parœcia constituere, et relicta Vicario congrua portione fructuum pro honesta ejus sustentatione, potest sibi reservare fructus qui supersunt.

4. Immo quia annui fructus possunt plus minus determinari, potest Prælati absque periculo simoniæ contractum inire super hisce fructibus. Super fructibus enim beneficii, quia proprii sunt Clerici possidentis beneficium, contractus fieri potest, idest locari possunt pro annua pensione juxta *cap. ult. h. t.* Quæ tamen locatio post Extrav. *'Ambitiosæ'*, *'De rebus ecclesiasticis non alienand.'* fieri potest ad triennium tantum. Ultra triennium requiritur venia Sedis Apostolicæ.

5. Neque obstat *cap. 6. De relig. domib.* in quo traditur Episcopum posse remittere ordini religioso jurisdictionem quam habet

in aliqua Ecclesia, vel in aliquo Monasterio, cum onere tamen annuæ præstationis solvendæ mensæ episcopali. Nam præstatio annua non repræsentat jurisdictionem remissam, eo modo quo pretium repræsentat rem emptam, sed annua præstatio solvitur in recognitionem præteritæ jurisdictionis et libertatis concessæ. Ut nempe conservetur memoria jurisdictionis episcopalis in Ecclesia vel Monasterio, et permaneat aliquod signum subjectionis, præstatio solvitur.

TITULUS V.

De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*)

1. Quia in munere magisterii præsertim conferendo intervenire potest simonia juris ecclesiastici, præsens titulus post duos præcedentes ponitur. Sit.

I. *De Magistris.* In *capp. 1. et 4. h. t.* sermo est de Magistro, idest de Magistro grammaticæ, nec non de Magistro Sacræ Theologiæ. Cum particularia Instituta non essent in quibus prima rudimenta studiorum adolescentes facile addicerent, Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. celebratum statuit ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis unus designaretur Magister, qui clericos et pauperes adolescentes gratis erudiret in studiis grammaticis, et pulchrarum literarum, cui magistro pro honesta sustentatione consuleretur ex redditibus Ecclesiæ, seu per consuetum beneficium. Inde factum est ut in Cathedralibus Ecclesiis officium *Scholastici* institueretur, quod appellatum etiam est *Primiceriatus*. Quoniam vero hæc præscriptio Concilii in omnibus Ecclesiis Cathedralibus non observabatur, Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. (*cap. 4. h. t.*) eandem præscriptionem renovavit et extendit ad alias etiam Ecclesias insignes, in quibus sufficere potuissent facultates ad hoc munus magisterii constituendum.

2. Hæc quidem disciplina viguit usque ad Concilium Tridentinum. Hoc enim Concilium *sess. 23. cap. 18. De Reform.* Seminaria clericorum in Ecclesiis Cathedralibus erigi voluit, in quibus adolescentes bonis moribus instructi et bonæ spei reciperentur et in studiorum curriculo instituerentur sub oculis et directione Epi-

*) Quoad jus Ecclesiæ in scholas, vide Cavagnis, Jus publ. eccl. Lib. 4. num. 17—136.